

ACADEMIA SCIENTIARUM SERBICA

SEORSUM EDITA

Lib. CCCII

SECTIO LITTERARIA ET LINGUISTICA

Lib. 9

FRANCISCI NATALIS
CARMINA

EDITA, INTRODUCTIONE COMMENTARIISQUE ORNATA

A

MIROSLAVO MARKOVIĆ

Approbatum imprimi in I sessione Sectionis litterariae et linguisticae ASS
12 III 1954

Redactor

PETRUS KOLENDIĆ

academicus, Sectionis litterariae et linguisticae secretarius

BEOGRAD

1958

I.

- f. 2^r ... Nos modo, si quemquam dederit fortuna secundum,
 Conquerimur, laeti si quis at hostis adest.
 Iam nitidas nostris labris non tingimus undas,
 Sed potius tristes nunc iuvat esse cibos.
 Non aliter quam cum deserta coniuge turtur 5
 Immemor escarum flebile carmen habet.
 Carminibus vultur raucis mihi semper ad aures
 Personat et cornix tristia signa canit.
 Non nisi nocturnum fas est mihi cernere tempus:
 Utque fugit lucem noctua, nos fugimus. 10
 Si genus horrendae sortis quis nescit iniquum,
 Inspiciat nostrae fata severa necis.
 Rupibus in mediis animalia cuncta quiescunt,
 Mollius haec trunco, frondibus illa cubant:
 Ast ego vana deum sub divo numina maestus 15
 Conqueror et fractam spemque fidemque gemo.
 En viret omnis ager, tamen at mihi sicca videntur
 Omnia: nil maestos tempora laeta iuvant.
 Si lacrimis vocem confundimus, hei mihi nullus
 Mitiget alloquio tot mala nostra pio. 20
 f. 2^v Huc age, Tartareus foedi regnator Averni,
 Huc tuus advertat portitor ipse ratem
 Meque per obscurum traducat ad infera pontum
 Regna: decet maestos maesta tenere locos.
 Signa iuvant alios felicia, Pallados arbor: 25
 Nos cupimus Martis bella tremenda feri.
 Undique iam cupimus gladios a caede rubentes
 Et simul horridas Martia signa tubas.
 Splendida tecta iuvant alios; hi lacta fluentes
 Exoptant fontes mellifluumque mare: 30
 Ast ego, terra, tuis modo vellem degere fossis,
 Aequeora quam vellem sanguinolenta forent.
 Nempe tulit multis cursus fortuna benignos
 Et pietas multis non inimica fuit:
 Ast mihi saeva dedit sors nigros undique casus, 35
 Impia caelicolae fata dedere mihi.
 Sunt quibus alma placet pervolvere lumina caeli
 Quosque decet nitidi splendida forma poli:

f. 3 ^r	Ast caderent vellem nunc mundi sidera, Phoebus	
	Lunaque vel totum frangeret axis onus.	40
	Sunt et qui cupiant contentum cernere quemquam	
	Felicesque hilari vivere pace viros:	
	Ast ego ut invadant omnes rabiesque furorque,	
	Discordesque sient ventus et unda precor.	
	Ignibus absumptos fluctus modo cernere vellem,	45
	Vellem fulminibus scindier omne solum.	
	Tristis ubique gemat luctus, suspiria, tristis	
	Sit timor et lacrimis mixtus ubique dolor.	
f. 3 ^v	Hippotades solvat tumidos nunc impiger utres	
	Aeolus et ventis vim ferat ipse suis.	50
	Sparsa cadant magnum nunc moenia cuncta per orbem,	
	Aethera serpentum pervolet omne genus.	
	Quisque foret Tityus renovato viscere vellem,	
	Sisyphiis poenis omnia plena forent.	
	Exeat immensum Furiarum foeda barathrum	55
	Turba, graves volucres convenientque simul.	
	His comes et rabidus veniat Canis ore trifauci,	
	Qui vorat humanum dilaniatque genus.	
f. 4 ^r	Sitque Chaos nigrum nunc undique nubibus atris,	
	Atra velim miseris sidera cuncta viris.	60
	Hesperus et fiant utinam modo Lucifer unum,	
	Quaque cadit Phoebus efferat inde iubar.	
	Inque caput cunctos vellem convertere ferrum,	
	Verteret in patriam quisquis et arma suam.	
	O utinam caelum fieret Plutonia sedes	65
	Et fierent summi Tartara regna Iovis.	
	Filius et patrem manibus trucidaret iniquis,	
	Interimat fratrem frater ubique suum.	
f. 4 ^v	Non aliud quicquam decimus circumsonet orbis	
	Quam mortem, mortem cuncta elementa sonent.	70
	Si mihi saeva darent Oenidae fata sorores,	
	Illicet haec avidis ignibus ipse darem.	
	Tantalias vellem durus perdiscere sortes	
	Et Phaëthontae fulmina ferre necis.	
	Utque Erysichthonius consumpsit viscera quondam,	75
	In proprium corpus dentibus ire velim.	
	O mihi cuncta ferae laniarent membra dolenti,	
	Alter ut Actaeon et miser ipse forem.	
f. 4 ^v	Quas ego non poenas, quae non discrimina ferrem,	
	Dummodo tot mortes clauderet ima dies.	80
	Quid dolor humanos non iussit ferre? Manerem	
	Nunc Ixioniis in miser ipse rotis.	
	Sint mihi signa deum contraria, nil ego curo	
f. 4 ^v	An fuerint Martis falciferique senis.	
	Ite procul Veneris felicia sidera faustae,	85
	Ite procul placidi candida signa Iovis.	

- Augurium nigro sit nostrum nomine tinctum
Semper et auspiciis sint maledicta meis.
O mihi damna forent cunctis oppleta ruinis
Inque meum ruerent omnia bruta caput. 90
Rupibus, Aetna, tuis cudunt quae fulmina Brontes
Et Steropes: feriant in caput illa meum.
Gorgon saeva, ferox veniat Mezentius in me
f. 4^v Centimanusque Gyas impius atque Nero. 95
Barbara corda feri vellem sentire tyranni,
Aeri Perilleo qui mea membra daret.
Quid Marium, quid te, crudelis Sulla, superbe
Quid Capaneu, quid te, Pyrrhe cruenta, feram?
In mea nunc vestros convertite fata furores,
Tydes in nostrum dente ruatque caput. 100
Denique, ne veterum memorem monumenta virorum,
Ipse miser paterer quot subiere mala.
Cur igitur, Lachesis, tantum mea stamina profers
Totque malis nolles ponere dura modum?
Fila precor frangas; iam fusos rumpite, Parcae: 105
Mors, venias misero nil metuenda mihi.
Heu varium, caecum, fallax, heu temporis aevum
Mobilis. O mundi gloria vana, levis.
Falsus amor, nostro contraria cura labori;
f. 5^r Vana est spes veneris, vanior ipsa fides. 110
Nunc mihi delicias sperabam, nunc ego pacem:
In levibus zephyris spes mea fixa fuit.
Conqueror heu veneris falsae de pace caduca
Et lacrimans maesta proelia mente gero.
Hoc scelus illa iubet nostro quae funere gaudet, 115
Ingenio cuius nomen ad astra tuli.
Quid moror infelix? Quid enim mihi denique restat:
Mors, venias misero nil metuenda mihi.
Impia fata deum, cur tantos ferre labores
Me sinitis? Saltem vos, rogo, detis opem. 120
Confiteor, superi, vos reddere praemia dignis
Et meritum nocuis, impia fata malis:
Ast ego quid merui? Quid nunc peccavimus ipsi?
Parcite, non digne tot mala nempe gero.
Di facerent varias o possem sumere formas 125
Induere et vultus nunc miser ipse novos,
Ut melius dulces possem perquirere amores,
f. 5^v Ut dominam peterem protinus ipse meam.
Sed quia caelestes non praebent talia nobis:
Mors, venias misero nil metuenda mihi. 130
Non cuivis liceat flavum simularier imbrem
Inque sinum dominae procubuisse suae.
Non taurum liceat cuivis, non fingere cycnum,
Nec deus aut quisquis Iuppiter esse potest.

	Quod si forte alios possem mihi sumere vultus, Si facies posset nostra referre Iovem, Ipse darem finem tam longo nempe dolori, Nec fieret fletus ulla querella mei. O mihi ceratas aptaret Daedalus alas, Ut sequer lumen protinus ipse meum.	135 140
f. 6 ^r	Non mea planta tuas imitatur, Daedale, pennas, Nec levibus plumis praeda tenenda fuit. Quid loquor infelix? Nil prosunt verba dolori: Mors, venias misero nil metuenda mihi. Hanc ego Tarpeiam nunquam confringere sperem, Exclisit quae nos ad mala tanta foras. Quo latites, Circe? Quo nos, Medeides herbae, Aufugitis? Dominam reddite quaeso meam, Quae mihi cor levibus reddit penetrabile telis, Quae rapidis flammis vulnera nostra fovet.	145 150
	His nec Apollinea possit medicarier arte, Hippolyto medicam quae tulit ante manum. Hei mihi, cum nostrum non sit medicabile vulnus: Mors, venias misero nil metuenda mihi. Quae mihi sola fuit tantorum causa laborum Sola potest nostri finis et esse mali. Sola meos poterit, si vult, compescere luctus, Vulneribus nostris esse medella potest.	155 160
f. 6 ^v	Haec est illa mali spiritus quae funera semper Suadet: et hei finem mortis habere negat. Auxilium petimus, nostra nos luce dolentes: Dura manet surdis auribus illa tamen. Immemor est nostrae quam durae sortis iniqua; Me miserum! curat tot mala nostra nihil. Non licer ulterius sine dulci vivere amore: Mors, venias misero nil metuenda mihi. Supplicium videas modo lux tu candida nostrum, Undique tot lacrimas, tot gemitusque graves. Qualiter et fugimus clarum modo cernere Phoebum, Inspicias querulos quos facimusque modos.	165 170
	Quamque piget lucis cernas rogo lumine grato Cui misero et quoties vota fuere mori. Verba damus levibus ventis foribus quoque duris; Fabula sum cunctis inde ego nota locis. Ipsa manes surdis tamen at mihi surdior undis Aegrotoque negas tu mihi ferre manum. Proh scelus indignum! dilecta linquor amica: Mors, venias misero nil metuenda mihi.	175
f. 7 ^r	Saeva precor venias rabidarum turba ferarum, Dentibus ut duris viscera nostra vores. Iam venias nigrae moderator maximus aulae, At querulis ponas fletibus ipse modum.	180

- Cerberus immanis tandem tria guttura pandens
 Faucibus accipiat viscera nostra suis.
 Quaeque foveat nostras avido nunc igne medullas 185
 Accedat, nostram cernat ut illa necem.
 Saevus Amor, venias: satiabere sanguine nostro;
 Mors, venias misero nil metuenda mihi.
 Qui modo cumque meos felix imitabere amores,
 Iam poteris damno cautiore esse meo. 190
 Quisquis is es, verbis ne te modo demorer, audi:
 Sit satis hoc speculum me tribuisse tibi.
 Ille erit o quoties felix quotiesque beatus
 Sumptibus alterius qui didicisse potest.
 Nos tamen at nostrae veniam praebebimus hosti, 195
 Tot lacrimas et tot quae mala longa dedit.
 Denique sit mea mors totum vulgata per orbem,
 Damna per exemplum sint fugienda meum.
 Vade, meum nigro vestitu flebile, carmen,
 Ante pedes cuius non licet ire mihi. 200
 Non sine honore tamen volumus te cernere castam,
 Contulerit quamvis tristia fata mihi.
 Nec mora cum fueris perlectum; protinus illam
 Desere: felices et loca laeta fuge.
 Cum mare, cum terras lustraveris ordine longo, 205
 Descendas nigri regna profunda Iovis.
 Nos ubi tum cernes cum maestis vana gerentem
 Saecula mundanam spemque fidemque levem.

8 personat: *mg* aliter: obstrepit. 29 *ms* hij. 71 saeva: *ms* scaeva. 75 *ms* Erysithonius. 84 *ms* falciferrique. 94 Gyas *em*: *ms* Gigas; tamen *cf.* *Ov. am.* II 1,12 centimanumque Gygen (var. *lect.* Gyan). 96 aeri *em*: *ms* aere. 97 Sulla: *ms* Scila. 125 *ms* Dij. summere. 127 *ms* perquire (*laps. per haplologiam*). 131 *ms* hymbrem. 133 *ms* cycgnum. 135 *ms* summere. 141 *ms* immitatur. 142 *ms* plummis. *Prima manus*: 141—2 post 143—4. 149 reddit: *corr. ex* reddat. 152 *ms* Hipolito. 169 modo cernere: *corr. ex* perspicere. 179 saeva: *ms* scaeva. 185 *ms* ingne. 187 saevus: *ms* scaevus. 208 mundanam: *corr. ex* et humanam.

II. AD AMICAM DIUTIUS EXPECTATAM

- Ignis et expectet vanae promissa puellae,
 Ludit amatorem quae male fida suum;
 Quae toties in amore deos iurata fefellit
 Et dixit: „Veniam, fac properanter eas.
 Vade, sed incassum ne sis ventura videto. 5
 Festina, ne te serior hora vehat.
 Quo possim, mea vita, tuo paulisper amore
 Longius amoto non sine teste frui;
 Quo medium possim cupidus amplectier ulnis
 Figere et in collo stigmata blanda tuo; 10

	Quo possim tecum iucundos carpere fructus Et veneris gratas enumerasse vices. Et quid erit quod non tua sit factura Neaera, Dummodo mentis ero non aliena meae.	
	Non ego Caucaseas renuam transcendere rupes, Inter inhumanos dilaceranda lupos; Iusseris ad Libycas Syrtes: ego iussa natabo, Caeruleis audax associata feris;	15
	Seu velis ad Gangem? Ganges mihi terminus esto: Si placeat, vivam; si mea mors, moriar.“	20
f. 8 ^v	His ego pollicitis — quis enim non talibus esset? — Illectus miser, hac credulitate tumens, Curro nec ardentem timeo Procyona, laborem Sperno nec amotum me remoratur iter.	
	En venit, ecce venit promissae cura Neerae — Expecto; tandem nulla Neera venit. At veniet forsán paulum tardata: fidelis Saepe fuit; forsán causa probanda sua est.	25
	Aut fortasse patris gravior censura retardat; Aut negat adventus mater iniqua suos.	30
	Quis scit an ipsa novae resciet profluvia lunae, Pallidula roseas tabe notante genas. Posset et ad notum sese conferre sacellum: Perfidiae non est sed tamen ille locus.	
	Hei miser, iniustae sunt haec commenta Neerae Vana; meum falso torret amore iecur.	35
	Dic ubi vera fides? Ubi tot promissa? Cadentes More nivis lacrimae? Dic ubi verus amor? Anne putas superos sine vindice perfida divos?	
f. 9 ^r	Tardior est quantum poena timenda magis. Fulmina missa time! Timens ne gurgite saevo, Cum mare sulcabis, te maris unda voret.	40
	Ah pereat quicumque fidem putat esse puellis: Nulla puella meo tempore fida manet. Non possum tolerare leves: sint gaudia vulgi; Esse potest levius qua levitate nihil.	45

8 *ms* ammoto. 12 *ms* ennumerasse. 24 *ms* ammotum. 35 iniustae: *mg* infidae.
41 saevo: *ms* scaevo.

III. PUELLAM QUAM VIDERAT LAUDAT

Vidimus hesterna spatiantem luce puellam, Credibile est qualem non rapuisse Parim. Nec niveum Tyriis quondam vexisse iuencum Littoribus talem trans freta longa ferunt. Et tunicas liceat non erat induta vagantes, Aut manibus fuerat lucida gemma suis;	5
--	---

f. 9 ^v	Non Arabo flavi spirabant rore capilli,	
	Non erat in varios forma relata modos:	
	Digna tamen cuius fierent praeconia formae	
	Splendida, perpetuo carmine digna fuit.	10
	Digna fuit merces pro qua vel obiret Achilles,	
	Herculeus pro qua sudor emendus erat.	
	Haec mihi Pisaei fieret si praemia currus	
	Quicquid et est duri muneris, instar erit.	
	Ismarios hanc ob cuperem transcendere montes,	15
	Armenias tigres Maenaiosque lupos;	
	Visere seu nulla contactam nube Syenem	
	Iusserit et Scythicam seu velit illa nivem.	
	Tantum cara mihi dicat: „Carissime, veni:	
	Te volo, tu nostro solus amore vige.“	20

4 longa: *mg* vasta. 13 *ms* fierent *em*. 15 *ms* Hismarios. cuperem: *corr.* ex ausim.
18 *ms* syticam.

IV. AD AMICAM FUTURAM

f. 10 ^r	O nimium felix, felicior illa sed esset,	
	Quam facerent veram carmina nostra deam.	
	Quid? Formosa tuas superasset, Cynthia, laudes,	
	Blandidulis quamquam sis celebrata modis;	
	Delia non tantos posset numerare favores,	5
	Quos adhibes formae, culte Tibulle, suae,	
	Ipse meis quantos canerem felicitis amicae	
	Carminibus: turpis vel, foret illa decens.	

V. VALERIO CANTILENAM CUIUSDAM PUELLAE LAUDAT

	Forte meo fueram nuper comitatus Achate;	
	Hinc illinc, Valeri, forte vagabar iners	
	Passibus ambiguus per amoena silentia lunae.	
	Multa sodalitis more sonabat amor:	
	Ille suam recitare mihi iucundus amicam,	5
	Qualia contulerat basia quotve sibi;	
	Felices in amore moras, liventia colli	
	Stigmata, Cecropiis labra refusa favis;	
	Quid sibi vita dedit longi monumenta teporis	
	Nocteque praeterita gaudia quanta tulit.	10
	Cum subito nostras pervenit talis ad aures	
	Vox, Sicula qualis rupe venire solet;	
	Cum subito audimus cuiusdam forte puellae	
	Carmina, Threicios usque secuta modos.	